



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ethica Guilielmi Adolphi Scribonii, Ex Aristotele Et Aliis
summis philosophis repetita**

Scribonius, Wilhelm Adolf

Hanoviae, 1593

VD16 S 5114

Cap. III. De Scientia.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56572](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56572)

principiis res omnes tum universales tum particulares demonstrantur & explicantur.

Quare verò si ratio iudicat res tum universales tum particulares, experientia præter rationem requiritur?

Quamvis intellectus, sive ratio sit universalium & particulariū rerum demōstratio communis: quia tamen in plurimis sepe rationi experientia cōtraria deprehenditur: idcirco duo hæc principia sigillatim sumenda fuerunt.

Hæcne igitur duo tantū principia sufficiunt?

A Stoicis numerantur αἰσθησις, προληψις & νόσις, id est, sensibilis rerum perceptio: anticipatio seu anticipata animi notio, & intellectus consequentiæ. Atqui αἰσθησις ista seu sensibilibus rerum cognitio ad experientiam pertinet. Anticipatæ notiones itemque νόσις seu iudicium aut intellectus consequentiæ ratio rectè subjici possunt.

CAP. III.

De Scientia.

Quid est Scientia?

Est habitus demonstrativus perspiciens cōclusiones necessarias per suas causas.

Quomodo plenius hoc interpretaris?

Est virtus intelligentiæ qua cognoscimus rerum causas maximè primas & immediatas, quæ nulla demonstratione refutari possint.

Quarum rerum igitur est scientia?

Rerum immutabilium & necessario, perpetuoque constantium, quæ secus evenire non possunt, ut sunt res æternæ & spirituales: de qua cōtemplatione potissimum percipimus.

Quando autem quis eas scire dicitur?

Si causas earum cognoverit. Scire siquidem est rerum causas tenere.

CAP. IV.

De arte.

Artem quomodo definitis?

Τέχνη, inquit Aristoteles, ὅτιν ἐξίς τις μετὰ λόγον ἀγνοῦν ποιητικὴ. Habitus quidam cum ratione vera in faciendo positus.

Circa quas res hæc virtus versatur?

Non circa res necessario contingentes, nec circa res naturales versatur: sed in iis locis habet quæ esse aut non esse possunt, & quorum principium in nobis est situm.

Ergo summa differentia est inter artem & scientiam?

Maximè. Rerum enim necessariarum & contemplabilium est scientia: ars vero rerum contingentium & quarum praxin aliquã potest contemplatione nos ipsi exercere possumus.

CAP. V.

De differentia plenioris artis & scientiæ.

Estne verò rata & catholica abs te proposita artis & scientiæ differentia?

Ari-